

1978

M

305

























Q. D. B. V.  
CORONA

IN  
STIRPIS RUTÆQVE SAXONICÆ

LAUDEM  
SUSPENSÆ,  
SIVE

ORATIO PANE-  
GYRICA,

RES PRÆCLARISSIME GESTAS  
SERENISSIMORUM AC POTENTIS-  
SIMORUM

ELECTORUM DUCUMQVE  
CELSISSIMÆ DOMUS SAXONICÆ  
REFERENS,

In

GYMNASIO MARTISBURGENSI  
PUBLICE HABITA

Georgio Sigismundo Sittig/ Wormat.

ANNO

Recuperatæ Salutis M. DC. LXXIX.

---

Literis CASPARI FORBERGERI, Typogr. Aul.

[Menseleiring]



REVERENDISSIMO, SERENISSIMO ATQVE  
CELSISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO

CHRISTIANO,

Duci Saxonæ, Juliaci, Cliviæ & Montium, Po-  
stulato Administratori Episcopatus Martisburgensis, Landgravio Thu-  
ringiæ, Marchioni Misniæ, ut & Superioris ac Inferioris Lusatia,  
Comiti in Marka & Ravensburgo, Dynastæ in  
Ravenstein, &c. &c.

PRINCIPI CHRISTIANISSIMO,

PATRIÆ PATRIOPTIMO,

DESIDERATISSIMO,

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO,

Piissimô cultû,  
humilimô obsequiô,

Cum religiosissimo Augustæ Felicitatis  
& tranquilli Regiminis  
Voto

Oratiunculam hanc  
devotissimè offert

*Subjēctissimus servulus,*

GEORGIUS SIGISMUNDUS Sittig/ Wörmat,



78 M 305

AK





# CORONA

## IN STIRPIS RUTÆQUE SAXONICÆ LAUDEM SUSPENSA.



**V**anquam honestamentô non eget  
 Virtus, nec vulgi plausum desiderat, quippe quæ mer-  
 ces sibi met pulcherrima, per seque petenda, etiam ex-  
 ternis incomitata bonis, multorum tamen seculorum  
 usu confirmata est laudabilis illa consuetudo Heroas,  
 Reges, Principesque Viros divinis vel in cœlum ef-  
 ferendi laudibus; imprimis si strenuâ Illi virtute rarâq;  
 prudentiâ vel belli vel pacis temporibus res gesserint maximas, optimèque  
 de re meriti sunt publica. Ita Ecclesiasticus eorum cum laude luculenta  
 enarrat nomina & encomia, in gente qui Judaica singulari fortitudine &  
 rerum præclarè gestarum magnitudine præ cæteris sui loci & ordinis claru-  
 ere, summâq; in laude vixere, floruerunt. Sic & Romani aliæque gentes Bar-  
 baræ Regibus suis, ut nullâ nō laude dignissimis, pretiosissima sæpius erexe-  
 re monumenta, quorum passim hodiè visuntur rudera. Imò Principes Viri  
 nullam aliam rerum gestarum mercedem desiderant, quàm laudem, quàm  
 gloriam; hinc Themistocles interrogatus quod acroama, aut cujus vocem  
 libentissimè audiret, ejus, respondit, à quo sua Virtus optimè prædicaretur.  
 Et Alexander Achillem ideò dixit fortunatum, quòd Virtutis suæ præco-  
 nem, Homerum, invenisset; trahimur enim omnes, uti Cicero loquitur, lau-  
 dis studiò, & optimus quisque maximè gloriâ ducitur. Jam verò Potentissi-  
 ma ac Celsissima DOMUS SAXONIÆ tot Heroum, tot Regum ac Principum  
 Genitrix foecundissima, Illustrissima, quam nō laudem Illa, honorè & glori-  
 am meretur? Cujus singulari atque incomparabili Virtute tot tantæque  
 res præclarissimè gestæ sunt, ut jure meritòque de Ipsa dicere possim, de ur-  
 be nobili celebrique Carthagine, olim non nemo quod dixit: fatius est de  
 ea tacere, quàm pauca dicere; quòd si quis omne studium omneque ingeni-  
 um ad Ejus gloriam laudemque celebrandam, uti jus, uti fas foret, confer-  
 ret, vix tamè officio suo dicendò satis se facturum esse mecum ingenuè fateri  
 cogeretur: Principes enim Saxonica de gēte sati maximâ cum laude qui flo-  
ruere,



ruere, fuerunt Clementissimi, Sapientissimi, Justissimi, Constantissimi, aliisque Heroicis Virtutibus Ornatissimi, quapropter quàm plurimas etiam eorum imagines non ad intuendum solum, sed ad imitandum etiam expressas Scriptores nobis & Latini & Germani reliquerunt, quas etiam alii Principes in Re administranda publica sibi proponunt, animosque & mentes ipsa cogitatione Principum horum & Heroum Excellentium conformant. Quanquam autem hæc materia longè est gravissima, amplissima, ita, ut vix Tullii svada, Demosthenis eloquentia, & Periclea facundia res tantas, tamque præclaras dignè pertractare, atque tot Heroum ac Principum Nomina & Encomia enarrare, nedum prædicare possit, nihilo tamen minus ego, in hac licèt palæstra tiro parùm versatus, jussu svasque eorum, quorum voluntas semper mihi pro imperio est, & esse debet, ultima ex his Rostris jam verba faciens, de **STIRPE AC LAUDE** Po-

tentissimæ ac Celsissimæ **DOMUS SAXONICÆ**, quantum pro ingenioli tenuitate, temporisque brevitate licuerit, dicere induxi animum, sperans, imò confidens, neminem Vestrum, Auditores omnium ordinum Honoratissimi, Amantissimi, vitio id mihi versurum, neque attentas benevolasque aures, quibus aliàs singularis Vestra Benevolentia dicentem me dignata est, denegaturum esse: Vobis enim, ut mihi persuasi, sub Rutæ Saxonicæ umbra degentibus, florentibus, ingrata hautquaquam erit Oratio mea, cui nihil planè inerit, nisi quod ad amplificandam pertineat laudem & gloriam Ducum Saxonicæ, & præcipuè Laudatissimi nostri Patriæ Patris, quem præ cæteris maximò suo meritò & colitis, & observatis, & diligitis, Cujus & gratiam omni, quò parest, quòque licet obsequio, multis modis demeremini.

Benevolentia itaque Vestra & audientia certissimus vela Orationis meæ pandam, & paulò altiùs Regiam repetens Stirpem & Originem Ducum Saxonicæ, sistam primum omnium **WITTEKINDUM** Magnum, Pronepos qui fuit Sighardi, illius Saxonicæ Regis, Seculò qui septimò à Nato Christo cum Rege Francorum bella imbelli nec dextrâ, nec Marte gesit adversò. Wittekindus a. hic floruit tempore Caroli Magni, strenui ac felicitis bellatoris, & Christianæ Religionis, fideique propagatoris ac defensoris longè acerrimi, ultimus Saxonum Rex, quem initio pertinacissimum Ethnicismi cultorem tutoremque, tandem bellò ter et triginta durante annos fractum, omnibusque pœnè Viribus exhaustum ad fidem amplectendâ Christianâ jam laudatus Carolus adduxit, magnum ducem Saxonicæ, Westphaliæ & Angriæ eundem constituit, & equum nigricantem, quò pro insigni hæctenus erat usus, in albicantem convertit. Ferunt hunc Wittekindum, bellò adhuc vigente, mendicis habitu Caroli Magni castra ingres-

sum



sum esse, & Feriis Paschalibus Sacris interfuisse, cūque Sacerdotem ad a-  
ram vidisset Cæsari aliisque cœnâ tum Dominicâ utentibus infantulum  
pulcherrimum porrigentem, qui in quorundam lætus, in aliorum invitus o-  
ra descenderet, eò miraculosò certè miraculò fidelique Caroli, Victoris,  
consiliò svasūque Christianam Ille fidem amplexus & Susceptore Ipso Caro-  
lò Magnò, annò Christi septingentesimò octogésimò quintò à S. Bonifacio,  
Moguntinensi Episcopo, solenni ceremoniâ baptizatus est, Qui quantò  
pertinaciùs ante conversionem Idolomaniam Ethnicam defendit, tantò  
conversus acriùs Christianam fidem tutatus est, ac per Provincias Suxæ sub-  
ditas Potestati magis magisque indies propagavit. Ab hoc Wittekindo  
multi descenderunt Imperatores Germaniæ, Reges Galliæ, Electores Du-  
cesque Saxonix, Marchiones Misniæ, Landgravii Thuringiæ, Duces  
Sabaudix & Marchiones Montisferatenses, quæ Stirps ultima du-  
dum defecit, de Quibus omnibus dici certè possent quàm plurima, at nec in-  
stituti nostri ratio id exigit, nec temporis angustia permittit: quapropter  
in his tantum comemorandis, collaudandis, occupati, à Quibus Potentissimi  
ac Serenissimi Saxonix Electores Ducesque descendunt, convertimus nos ad

**WITTEKINDUM JUNIOREM**, Ejusdem toties  
laudati Wittekindi Magni, primi Christiani Saxonix Ducis Filium, Qui Ur-  
bem Arcemque Wittebergensem condidit, annò recuperatæ Salutis octin-  
gentesimò septimò, ab ejus filio, nomine **DITGREIM**, descendit, Electorum  
primus qui fuit, **FRIDERICUS I**, cognomine *Bellicosus*, an-  
nò Qui millesimò quadringentesimò nonò celeberrimam in vicinia Lipsi-  
ensem Academiam fundavit, & eximiis privilegiis dotavit, Pater **FRI-  
DERICI II**, *Placidus* Qui dictus est, Cujus laudatissimi Ducis  
Fili, Paternæ Virtutis ex asse Hæredes, fuere **ERNESTUS & AL-  
BERTUS**, quos ignobilis ille Nobilis, *Conradus de Kauffung*, Electore  
Patre absente, annò millesimò quadringentesimò quinquagesimò quintò  
ex Arce Altenburgensi furtò sustulit, Qui quàm mirabiliter à Deo opecar-  
bonarii periculò erepti, & plagio vindicatò, servati sint, ex Historiis Saxo-  
nicis satis superque patet elucetque. Hinc Potentissima Celsissimaque Do-  
mus Saxonix in duos distincta divisaque est Ramos & Familias, in *Famili-  
am* scil. *Ernestinam* & *Albertinam*, & quidem Ernesto in divisione patrimo-  
niæ Saxonia contigit, Alberto Misnia, à Quorum Priori Electores por-  
rò procreati sunt Potentissimi, **FRIDERICUS** nimirum III, *Sapiens*  
vocatus, munificentissimâ Qui fundatione Wittebergensis Academiae  
laudem Sibi conciliavit immortalē, tutor Evangelicæ Veritatis atque Ec-  
clesiæ

B

clesiæ





clesiæ à *B. Luthero* decimò septimò superioris Seculi annò reformari coepta perpetuus, donec annò Nati Redemptoris millesimò quingentesimò vigesimò quintò placidâ obdormivit morte & *Wittebergæ* sepultus est. Ei successit Frater **JOHANNES**, ob singularem in tuenda fide Orthodoxa constantiam *Constans* cognomine appellatus; siquidem *Evangelicam* non solùm *Confessionem*, vulgò quam vocant *Augustanam*, in Comitibus Imperialibus Imperatori *Carolo V.* cù cæteris Electoribus Ducibusq; publicè *Augustæ Vindelicorû* annò obtulit millesimò quingentesimò trigésimò, sed tam pertinaci eidem tamque constanti etiam adhæsit animò, ut ab ea nec minis nec blanditiis, quoad vixit, averti avellique potuerit, cui tam piæ constantiæ ac laudabili pertinaciæ immortalus est annò millesimò quingentesimò trigésimo secundò, & Ejus cineres eòdem depositi sunt locò, quò Fratris Gloriosissimi. Hic Filium reliquit Successorem, **JOHANNEM FRIDERICUM**, Constantissimum itidem Orthodoxæ Religionis Confessorem, Defensorem, Quem *Carolus* Imperator & Rex *Ferdinandus* prope *Mülbergam* fortissimè pugnantem vicere, & victum captumque abducere, Qui demum annò quintò captivitatis suæ, cùm ab agnita veritate transversum unguem discedere recusasset, affirmans vitam antè, quàm fidem Sibi ereptum iri, dimissus est, Electoratus verò, cui renunciare coactus est, collatus **MAURITIO**, Heroi Præstantissimo, Cujus fidem Virtutemque Imperator *Carolus* plurimis erat expeditionibus expertus, atque ita *Electoralis Dignitas ab Ernestina ad Albertinam* translata est *Familiam*, *Mauritius* enim, tot Heroum Victor, Filius erat *Henrici*, cognomine *Pii*, Qui *Georgio* Fratri, *B. Lutheri* hosti accerrimo, decedenti successerat, Nepos *Alberti* ejus, ex *Arce Altenburgica*, ut diximus, furtò sublati. Quantas res brevi temporis spatio *Mauritius*, Dux & Elector, gesserit, Historici non sine illustri admirandæ Virtutis encomiò commemorant, in primis masculè restitit omnibus, qui damnosissimam illam *Religionis ac superstitionis mixturam*, vulgò *Interim* dictam in Ecclesiam ivere reductum: præterea paulò ante exitum ex mortali hac vita *Sultanum Turcicum* pacem æquis conditionibus facere, & Imperatorem *Carolum*, Socerum suum, *Philippum*, *Hassie Landgravium*, quem contra datam fidem in vinculis ille hætenus detinuerat, dimittere bellò coëgit gravissimò, imò *Cæsarianis pacem quasi extorsit Bassaviensem*, quæ & paulò post, annò scilicet millesimò quingentesimò quinquagesimò quintò, à *Ferdinando I.* Imperatore & Statibus Imperii, *Augusto* regnante, confirmata est: tandem verò cùm *Albertus*, *Marchio Brandenburgicus* novas gravesque in vicinia excitaret turbas, coactis copiis has compositurus prælium cum hoste hoc ferocissimo, annò quingentesimò quinquagesimò secundò prope *Sivershusam* in agro *Lüneburgico* strenuò





strenuò ac imperterritò commisit animò, quo ex cruento bello Victor qui-  
 dem summa cum laude & gloria discessit, at graviter faucibus, ita, ut tertio  
 die Heroicà morte vitæ fabulam cum immortalis actam laude clausit, cum  
 annos triginta duos in his terris varias inter turbas multa que pericula exe-  
 gisset, ætate par Invictissimo illi Heroi & universi ferè orbis Domitori,  
*Alexandro Magno*, superior Virtute, si veram Illius ac sinceram Pietatem,  
 hic planè quam nesciebat, spectemus, spectemus fidem & justitiam. Fratri  
 Frater illicò successit, **AUGUSTUS**, de Cujus rebus eximia cum lau-  
 de gestis, de singulari Zelo in conservanda propaganda que Orthodoxa Lu-  
 theranorum Religione, de tot habitis Ipsius imperiò Conventibus, de Visita-  
 tionibus eò passim sine institutis, ut doctrina Orthodoxa ab omni hetero-  
 doxias fermento pura conservaretur atque incontaminata, de Christianissi-  
 ma, quam pro Ecclesiarum Scholarumque incrementis dies noctesque  
 gessit, cura, quæ hæc Musarum Domus munificentissimè extructa, & DEO  
 studiosæque juventutis educationi addicta atque dicata est, deque laudatissi-  
 mo ac Pius omnibus gratissimo æquissimoque imperio dici satis, ut dig-  
 num est, non posse opinor, in primis Patria ingentes secundum DEUM *Augu-*  
*sto* ideò debet gratias, quòd per Orthodoxos aliquot ævòque suo celeberrimos  
 Ecclesiæ Doctores *Christiana Concordiæ Formulam*, quæ scitu ad  
 salutem credituque necessaria dexterrimè, rejectis erroribus cum Vero pu-  
 gnantibus, explicantur, Orbi Christiano conciliaverit, commendaverit. In  
 his tam sacris curis tamque salutaribus negotiis inque evolvendis Bibliis &  
 Scriptis *Lutheri* cum partem vitæ maximam exegisset, Principum Augustissi-  
 mus *Augustus*, preces inter & solatia *Doctoris Miri*, Oratoris Aulici, sine  
 ullò sensu mortis mortuus placidissimè obdormivit, annò millesimò quin-  
 gentesimò octogesimò sextò, traditâ lampade Successori, Filio, **CHRIS-**  
**STIANO I.** Qui & Parentis longè Optimi non exigua cum laude insti-  
 tit vestigiis, at *ὀλιγοχρόνιος* annò millesimò quingentesimò nonagesimò primò  
 decessit, Filios relinquens impuberes, **CHRISTIANUM II.** & **JO-**  
**HANNEM GEORGIUM I.** Quorum tutelâ commissâ *Frideri-*  
*co Wilhelmo*, Saxoniz Duci, qui Orthodoxæ Assertor Veritatis Constantissi-  
 mus exules Orthodoxos in patriam revocavit, Crypto Calvinianos removit,  
 & pristino suo nitori, quantum in Ipso fuit, Ecclesiam restituit, Quò ad me-  
 liorem vitam vocatò, annò millesimò sexcentesimo primò, **CHRIS-**  
**STIANUS II.** annum agens decimum octavum Administrationem su-  
 scipit, Qui, Historici ut commemorant, cæteros inter ordinis sui Principes  
 non clementiâ tantum & placabilitate, quâ, tullii effatò, nihil laudabilius, ni-  
 hilque



hilque Viro Magno dignius, sed singulari etiam Constantiæ laude excellu-  
 it: nam, cum aliquando, Augustanæ Confessionis puræ illius minimeque  
 mutatæ, & Formulæ Concordiæ factâ mentione, quæsitum esset, an Do-  
 ctrinæ in his traditæ constanter in- & adhærendum foret, Elector Glorio-  
 sissimus vultu animoque subiratô, testante Ejus Oratore Sacro, Docto-  
 re *Polycarpô Leiserô*, in hæc tam generosa erupit verba: *Was darffs viel  
 Fragens und Zweifelns / Ich wolte mich eher mit Verleitung Göttlicher  
 Gnaden in Riemen zerschneiden lassen / denn von der erkanten und bekant-  
 ten Lehre abweichen.* Frater Fratri successit **JOHANNES GE-  
 ORGIUS I.** gloriosissimæ memoriæ, Cujus Proles hodiè, uti satis su-  
 perque constat, bis gemina superstes floret, nempe **JOHANNES  
 GEORGIUS II.**, Dux & Elector Saxonix Potentissimus, Reveren-  
 dissimi ac Serenissimi Principes ac Domini, **DOMINUS AUGUSTUS**,  
 Archi-Episcopatus Magdeburgensis, **DOMINUS CHRISTIANUS**,  
 Merseburgensis, **DOMINUS MAURITIUS**, Naumburgensis Epi-  
 scopatus Postulati Administratores Ducesque Saxonix, Julix, Clivix &  
 Montium &c. *Principes ac Domini* nostri Clementissimi, Quibus quatuor  
*Patriæ Columnis* unô ore precamur atque vovemus, ut diutissimè totius  
 Saxonix bono Ecclesiæque incremento inconcusæ atque immotæ stantes  
 felicissimèque florentes irruptô fraterni amoris ac concordix vinculo nexæ  
 imperent Majoribus suis Virtute famæque haut dissimiles. Hujus Lauda-  
 tissimi Electoris ac Principis, *Johannis Georgii I.* Regimen in tempora inci-  
 dit admodum turbulenta: cum decimô octavô currentis Seculi annô Bohe-  
 mi ob imminuta privilegia sua, ut aiebant, per fenestras ex Arce Legatos Cæ-  
 saris præcipitassent &, rejectô *Ferdinandô II.*, quem in locum *Matthiæ*, Im-  
 peratoris Electorale Collegium Cæsarem & Successorem elegerat, ad Electo-  
 rem Palatinum, *Fridericum*, Sceptrum & Diadema Regium detulissent, bel-  
 lum exarsit exitiale, in quo ductu auspiciôque *Maximiliani*, Bavarix Du-  
 cis, Bohemi cum Rege suo in Albo Monte prope Pragam annô Christi mil-  
 lesimô sexcentesimo vigesimo fusi cæsi que sunt, & Rex novus non Regiâ  
 tantum, sed Electorali etiam dignitate exutus cum Coniuge & Liberis in Si-  
 lesiam abire & exulare coactus est. Victoriosus Cæsaris exercitus ex eo  
 tempore plura indies & majora moliri cœpit, gravis Protestantium Ordini-  
 bus, dum frequentibus victoriis nefariè abusus, Protestantium, quos dixi-  
 mus, Principum regiones latè populabatur, & Jesuitis classicum, more suo,  
 canentibus, doctrinâ Orthodoxam passim premebat extirpatumque ibat,  
 unde etiam *Tillius*, profligatô Danô, *Magdeburgum* vehementissimè oppu-  
 gnavit,

suplid



gnavit, die decimò Maji annò hujus Seculi trigesimò primò vi expugnavit & ferrò flammâq; inhumanâ planè usus crudelitate, nullâ vel ætatis vel sexûs habitâ ratione, in cives æquè ac milites sæviens, non aliter atque hostes solent Barbari, evertit ac devastavit, non leviora Lipsiæ, Wittebergæ, Dreidæ & universæ Saxonix minatus, nam *Virginem*, ajebat, *se cepisse Magdeburgi, Lipsiam huic debere vestitum, Wittebergæ consecrationem peragenda, Dresdæ Nuptiale convivium esse celebrandum*, at *Gustavus Adolphus*, Sveciæ Rex, Vindex ille & Assertor Orthodoxæ Religionis ac Libertatis & acerrimus & felicissimus, DEO Duce & auspice, opem laboranti tulit Ecclesiæ, qui ut cū Svecis suis, Finnis & Lappionibus fines Germaniæ attigit, Potentissimus *Johannes Georgius*, Dux & Elector Saxonix, illicò, cum Eodem fœdere initò, conjunctis viribus egregiè hostis insolentiam repressit & ad Lipsiam ferocientem Cæsaris exercitum feliciter fugavit fuditque, quem & annò insequente prope pagum *Breidenfeld* Copiis Saxonis cum suis conjunctis, Rex Sveciæ aggressus campò cedere coëgit, quâ tam gloriosa victoriâ pressæ Ecclesiæ egregiè subventum est. His itaque & aliis tam præclaris rebus gestis, quas enarrare nimis nunc longum foret, Invictissimus hic Heros immortalem Sibi gloriam comparavit, conciliavit, at Princeps idem nò solùm bellò, sed pace fuit Optimus, Cujus Heroica Pietas in Ecclesiis Scholisque fundandis, dotandis nunquã non fuit occupatissima, neq; ulla odia, ullaque pericula fugit pro Re conservanda publica, unde non hominibus solùm, sed & Cælo longè charissimo id, quod paucis arbitramur ordinis Sui contigisse, contigit, ut Electoralis Collegii Senior triū Imperatorum electioni, nempe *Matthiæ I. Ferdinandi II. & III.* interfuerit & Elector per annos quatuor & quinquaginta Laudatissimus, rarò certè exemplò, unū et octoginta Nepotes, Pronepotes, Neptes, Proneptes florentes viderit, vitæque satur (quippe senex septuagenariò major) Seculi hujus annò trigesimò sextò sceptrò cœlesti terrenū mutaverit. Hujus tam laudati laudandiq; Proles hodiè, ut suprâ diximus, floret *Reverendissimus, Serenissimus atque Celsissimus Princeps ac Dominus, DOMINUS CRISTIANUS, Dux Saxonix, Juliaci, Clivix & Montium, Postulatus Administrator Episcopatus Martisburgensis, Landgravius Thuringiæ, Marchio Misniæ, ut & Superioris ac Inferioris Lusatiæ, Comes in Marka & Ravensburgo, Dynasta in Ravenstein &c. Princeps ac Dominus noster Clementissimus, Nutricius Gymnasii nostri Munificentissimus, Paternæ laudis & gloriæ felicissimus Æmulus, neque en. quisquam Virtutè ullam in bono Principe invenerit, quam in Clementissimo Domino nostro ac Patriæ Patre repertam cùm fama publica non prædicet, tum primi Ministri ordinis non admirentur, non venerentur, præcipuè autem in *Hoc Heroè* commendari meretur religiosa *Pietas*, Virtus primaria, imò Virtutum, Orator ut ait *Arpinas,**

C

pinas,



pinas, fundamentum & radix, sine qua nihil sub cœlo laudabile aut salutare reperit possidetque mortalitas, ipsa purpuram maximè ornat sceptrumque commendat, ipsa sapientia est, Salamoneò quæ ore, per me, inquit, imperant Reges, ipsa regendi modum regulamque præscribit, ejus claræ raræq; Virtutis impulsu Princeps Optimus quidvis averfatus vitii vitanda non solum vitat, sed sedulo etiam operam navat, ut inculpatam piamque vitam semper agat & DEO hominique, dum vivat, placeat; in primis Pietatis singulare præclarumque edit specimen, quòd, Davidicò exemplò, Ædem Sacram, ut omnibus notum, quotidie frequentat & conciones sacras attentissimus audit, imò multas horas, interdum & dies in legendis Bibliis aliisque sacris Scriptis cum laude gloriâque consumit maxima, nunquam, indicans, divinissimum Suum pectus sacris his curis ac meditationibus fatigari aut expleri. *Latus Pietati tegit Jusitia, Virtutum, ut Cicero loquitur, Regina & Domina, imò Rerum publicarum columna, vita, salus, lites quæ tollit, tollit querelas, quæque pœnas & præmia æquissimâ lance distribuit, quæ & Laudatissimus Justissimusque Princeps noster, velut alter Aristides & Fabricius, armatus nullius rei magis curam gerit, quàm ut in Provinciis ac Regionibus scepro Ejus parentibus justa judicia perpetuò exerceantur, & nocentes, nullâ habitâ ratione personarum, secundum leges Juris tam divini, quàm humani damnentur, innocentes autem absolvantur, interdum & præmiis afficiantur, insuper nobilissimæ hujus Virtutis amore studioque incensus atque influmatus diurnas nocturnasque in eo cogitationes consumit, quomodo subditam Suæ Potestati plebem domosque singulas tueatur ac præsentem ita cingat præsidio, ut cuilibet ab hoste externo & domestico tuto pace frui liceat imperturbatâ. *Jusitiæ comitem se addit Temperantia, quæ frena cupiditatibus injicit modumque, ratio quem præscribit, in victu cultuque corporis servat, quæ sanè Virtus in Aulis Principum rarissima regnum in Christianissimi CHRISTIANI nostri Christianissima Aula possidet, Purpuratis, exemplò Domini sui, vix unquam modici munera Liberi, ut cum Flacco loquar, transilientibus. Agmen claudit Clementia, quæ, Senecæ effatò, imperiorum ornamentum est, maximèque decet Principem, delinquentium ancora, asylum oppressorũ, quæ in Clementissimo Domino nostro tanta est, ut ad indulgendam veniam, quàm exigenda supplicia, lege tamen non refragante æquitatis & Jusitiæ, semper promptior, non omnia ad vivum refecet, sed levia delicta delinquentibus condonet quàm promptissimè, quàm libentissimè. His tam excellentium Virtutum quadrigis, quæ Principem Virum maximè ornant, vectum Famâ Serenissimum nostrum ad astra tollit &, cum Poëtis si loqui liceat, Deorum adscribit Concilio, ob eadem etiam Virtutes omnis populus subditus Serenissimo Patriæ Patri, ut vivæ Virtutis imagini, Quæ non tam metuit ut Dominum, quàm diligit ut Patrem, unò ore mecum vovet, voveri quæ possunt, læta ac prospera, vovet:**

VIVAT



VIVAT ut æternum *Princeps* CHRISTIANUS, asy-  
lum

Perpetuum patrii delictumque soli!

Virtutum, CHRISTIANA, nitens Jubar excellen-  
tum,

Instar purpureæ FLOREAT usque rosæ!

FLOREAT & VIVAT! *bis ter* <sup>na</sup> & *Pignora lecti,*

Quæis nil Saxonicus pulchrius orbis habet,

Jugiter ex omni voto florentia cernat,

Cernat cum patria mille beata modis!


Imique & primi mecum laude auctâ perenni,

Quæ viret, ut VIREAT SAXONA RUTA, vo-  
vent.

Votis adjiciat pondus DEUS, illius ut vis,

Vt fraus imminuat nulla teratque Decus!

D I X I.





FATA LIBERATA

Petersonsches Buchdruckerey  
Virtutis CHRISTIANA, pietatis liberalis

INSTITUTIONE LIBERATA  
E LIBERATA VIRTUTE P. K. K. K.

Quemlibet Saxonum praelatum  
Igitur et omni voto potentia certat

Quemlibet Saxonum praelatum  
Quemlibet Saxonum praelatum

Virtutis LIBERATA  
Virtutis LIBERATA

D I X I





















78 M 305

ULB Halle 3  
006 633 161



Sb.

1017









Q. D. B. V.

CORONA

IN

ÆQVE SAXONICÆ

LAUDEM  
DISPENSATIONIS  
SIVE

IO PANE.

ERICA,

LARISSIME GESTAS

RUM AC POTENTIS-  
MORUM

IM DUCUMQVE

DOMUS SAXONICÆ  
REFERENS,

In

MARTISBURGENSI

BLICE HABITA


nundo Sittig/ Wornat.

ANNO

Salutis M. DC, LXXIX.

FORBERGERI, Typogr, Aul.

*conservat*



Q. D. B. V.  
 CORONA  
 IN  
 ÆQVE SAXONICÆ  
 LAUDEM  
 DISPENSATIONIS  
 SIVE  
 IO PANE.  
 ERICA,  
 LARISSIME GESTAS  
 RUM AC POTENTIS-  
 MORUM  
 IM DUCUMQVE  
 DOMUS SAXONICÆ  
 REFERENS,  
 In  
 MARTISBURGENSI  
 BLICE HABITA  
 nundo Sittig/ Wornat.  
 ANNO  
 Salutis M. DC, LXXIX.  
 FORBERGERI, Typogr, Aul.

